



Anno Christi fluente 1518, die 7 Iunij post meridiem horis 16. minutis 48 ferè fuit principium Eclipsis Solaris, undecim punctorum in 26 gradu Geminorum, cuius gubernator Mercurius, qui etiam fuit dominus Ascendentis, & Medij cœli natiuitatis Diui Maximiliani. Cuius effectus cum statu suo incoepit die 24 Iunij eiusdem anni, & seuebat sic in statu suo usq; in diem 18 Martij anni 1519, fuitq; ea funesta huic nato. Nam locus Eclipticus posuit se in cuspidem decimæ domus, & sic feriebat ascendens huius genituræ per quadratum. Item Alchocoden ostendebat annos 59 ferè. Item directio ascendentis natiuitatis fuit ad sextilem, id est ad quadraturam Saturni, præbet gradus 57, minuta 52, quæ etiam immediate accessit ad quadraturam Martis.

Anno igitur Christi 1519 fluente die 12 Ianuarij hora 11 ante meridiem in *Wels* Austriae amisit uitam unâ cum imperio. Vixitq; annis 59, diebus 354 cum horis 18 fere.

## CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Quomodo pro ratione cuiusq; genituræ, sint eligenda idonea tempora actionum aut negotiorum.



Lectioes quæ fiunt ex directionibus, profectioibus, uel etiam per transitus significatorum per loca necessaria, ex supradictis in hoc tertio libro, satis abundè colligi possunt adminiculo regularum sequentium.

Prima regula earum quæ concernunt uitam & corpus hominis.



Si uelis eligere tempus idoneum pro medicina cõfortatiua sumenda, uel pro alia quacuncq; re, quæ pro salute corporis fieri debet, Vide ut uitæ gubernator siue Hylech, sit in bonis locis figuræ cœli. Similiter etiam Sol & Luna atq; Ascendens, ita tamen quòd profectio Ascendentis, & Lunæ, ac gubernatores eorum, non sint in locis malis, scilicet sexta, octaua, uel duodecima, neq; in locis Saturni, uel Martis, neq; in radijs eorum quadratis uel oppositis radicis, neq; in loco Caudæ draconis &c.

Secunda regula de electionibus quæ fiunt pro rebus substantiæ.



Si in profectioibus, partis fortunæ & secundæ domus in bonis domibus figuræ, scilicet in prima, secunda, decima uel undecima, sed melius in prima, uel in domibus luminarium, uel Iouis, uel Veneris, uel applicent eorum coniunctionibus, uel aspectibus, uel applicent alijs planetis, qui in radice in bonis locis fortunati fuerunt, ita tamè quòd in omnibus incoepcionibus præ omnibus sit Ascendens, secunda, decima, uel undecima domus radicis, signum in quo stetit pars fortunæ in radice, uel quòd in prima sit profectio partis fortunæ, uel secundæ domus, sitq; eius gubernator fortunatus & foelix.

Tertia regula de electionibus pro dominio, dignitate, honore, officio uel magisterio.

Nn sij Sint